

## † R. P. Josephus Kraft.

E provincia nostra Vindobonensi hoc anno veteranus morte sublatus est, cuius persona memoriaque dignissima est, quae ab oblivione servetur.

Josephus Kraft ortus erat e regione Tirolensi, cuius robustam naturam et corporis statura et vultus lineamentis et viribus prae se ferebat. Natus est die 15 aprilis 1838 in Heiterwang, dioecesis Brixinensis vico, parentibus piissimis. Superato, ut moris erat, non sine inopiae difficultatibus studiorum humaniorum curriculo Congregationi nostrae nomen dedit et novitiatu in Puchheim peracto die 25 septembris 1856 votis perpetuis se obstrinxit, quae fide diligentissima per annos sexaginta sex servaret usque ad vitae in ultima senectute finem. Die 22 iulii 1861 sacerdotio initiatus peractis studiis theologicis, cum superiores sagacitatem eius perspectam haberent, statim lector in studentatu Mauternensi constitutus est, ubi primum Scripturam Sacram N. T. et linguam graecam, deinde theologiam dogmaticam et linguam hebraicam docuit, anno autem 1867 simul praefecti studentium munus ei impositum est, quod ad annum 1871 gessit, quo rector collegii Leobiensis est renuntiatus. Ab hoc tempore, si septem annos excipias, usque ad quartum ante vitae exitum annum semper sive rectoris sive ministri munere functus est. Anno enim 1874 Leobio ad collegium Vindobonense gubernandum vocatus est, quod cum per sex annos rexisset, ab a. 1880 ad 1887 Eggenburgi eodem rectoris munere functus est. Deinde cum septem annos a muneribus vacasset, ab a. 1894 ad 1901 Eggenburgi minister, a 1901 ad 1904 iterum rector fuit. Tres deinde annos Vindobonae-XVII (Hernals) ministri munere functus iterum idem Eggenburgi suscepit ab a. 1907 ad 1912. Tum annos natus septuaginta quatuor in domo iuvenatus Katzelsdorfensi rector creatus, quamquam oculorum acie imminuta laborabat, tamen labore indefesso omnibus praeluxit et corporis viribus ita praestitit, ut iter quinque horarum eodem die eundi redeundique difficultatem nullam sentiret. Ab anno denique 1915 ad 1918 Vindobonae-XVII iterum ministri munus obivit. Itaque per annos viginti duos rectoris, per undeviginti ministri munia gessit.

In rectoris munere domus Dei decorem praecipue diligens tum Vindobonae tum Eggenburgi ecclesiae nostrae exornandae maximam operam

dedit. Eggenburgi imprimis tum altaria tum pulpitem verbo divino praedicando destinatum et organum musicum eius tempore opere gothico ad structurae genus ecclesiae adaptato exornata sunt paramentaque permulta comparata. Ad expensas vero earum rerum multi benefactores contulerunt, qui eius praesertim opera allekti collegii nostri amici facti sunt, quorum ipse indicem confecit nomina fere centum et triginta exhibentem. Sacri cultus studiosissimus etiam in senectute bona, quamquam oculorum vitio laborans facultate munitus erat missam de B. Maria V. quotidie celebrandi, ea facultate tamen diu uti nolebat, nisi cum hieme luce deficiente id facere cogeretur, maximoque gaudio afficiebatur, cum solemniter celebrare potuit. Cum domus Dei zelo studium animarum lucrandarum semper in eo erat coniunctum. Quot missionibus interfuerit, colligere non possumus; sed id tantum dicere sufficit, in una dioecesi S. Hippolyti plus eum quam ducentis et quinquaginta adfuisse. Praeterea s. exercitia, sororibus praesertim religiosis, innumera habuit. Et cum domi esset, in confessionali indefessus laborabat, a poenitentibus semper magno cum studio expetitus. Rerum adiunctis cogentibus tum Eggenburgi, tum Vindobonae et in Katzelsdorf religiosarum regimine spirituali occupatus non solum in confessionali eas a diuivit, sed etiam conferentiis spiritualibus, quas ad ipsas habere solitus est. Et in otio Katzelsdorfensi septuagenario maior in id se cinxit, ut ex his conferentiis librum componeret de « triginta tribus principiis salutaribus vitae religiosae » (*Dreiunddreissig gesunde Grundsätze für das Ordensleben*), quem a. 1915 in lucem edidit.

Ne longi simus, ea tantum adiungemus, quibus chronista collegii Vindobonensis—XVII, in quo P. Kraft vita functus est, personam eius adumbravit: « Si verum est illud, qui religiose fideliterque s. regulam usque ad vitae finem observet, eum sanctum dici posse, dilectum nostrum P. Kraft mox inter sanctos Redemptoristas in coelo locum obtenturum esse existimandum est. Consilio et voluntate in regulam peccantem vix quisquam eum vidit umquam. Cum religiosa diligentia omnia exercitia praescripta obiens inimicus erat veniarum, quibus non revera opus esset, omnium virtutum religiosarum optimum praebens exemplum. Huius senis, qui tamdiu praeerat, reverentia et obsequium erga superiores, etiam minoris gradus, pietate animos commovebat. Erga sodales fratresque mira erat eius caritas. Ubicumque aliquem adiuvare potuit, certe illud non omisit, et ea etiam re vir perfectus erat, quod vix umquam lingua sua est lapsus. Si quis aliquando inter nostros acrius percenseretur, P. Kraft improbens tacebat, vel excusationem aliquam adferre studebat. Studium orandi in eo exempli instar erat. Quantum temporis sive in oratorio sive in cubiculo suo orans insumpsit! Meditationibus senex octogenarius semper genibus flexis incubuit, rarissime ad tergum paululum reclinatus.

Animarum zelus eius delectatio dici potuit. Quamdiu vires suppetebant, in missiones exire, verbum Dei praedicare, conferentias et exercitia spiritua- lia habere, sorores religiosas curare, sed praesertim miseros peccatores in confessionali audire non intermisit. Cumque affabilitate et humanitate ple- nus esset, non obstante facie sua vetusta et quasi nodosa et exesa omnibus, sive maioribus natu sive minoribus, acceptissimus erat, cuius consilii permulti in rebus etiam temporalibus libenter utebantur ».

Senex viribus ingens, qui valitudine fortunata uti videbatur, re vera praeter oculorum aciem fere omnino amissam variis infirmitatibus adfficta- batur, quibus tamen neque regularem observantiam suam neque laborem in confessionali turbari permisit. Initio autem martii mensis ex frigore ar- teriae asperae morbo correptus est, qui cum melior fieri visus esset, mox aggravatus est atque vitae periculum adduxit. Spirandi difficultate pe- dumque nimia hydropes accedente aegrotus magnis doloribus afficiebatur. Nullam tamen umquam voculam ex ore eius audire poterat, qua impatiens querela proderetur. Dominica Paschatis, quae erat dies 16 aprilis, ultimam missam dixit et sequenti die s. morientium sacramentis munitus est. Ex eo die cubiculo iam egredi non potuit totumque se mortis expectationi dedit saepe illud apostoli repetens: « Cupio dissolvi et esse cum Christo ». Praesertim per octavam sollemnitatis S. Ioseph ab hoc suo patrono bonam mortem expetivit, quam tandem die 12 maii 1922 a Domino obtinuit. Funus eius comitantibus viginti septem sacerdotibus, sororum religiosa- rum e variis congregationibus magna turba innumeroque populo die 15 maii elatum est. R. i. p.!

---

*Omnes missionum superiores sciant esse meae voluntatis absolutae, quam interpretari nemini liceat, ut excepto aliquo casu necessitatis, qui raro eveniet, in omnibus missionibus populo eius loci, in quo missio habetur, cum confessionibus plene satisfiat. Ideo, si necesse fuerit, aut sermones sacri au- geantur, aut missionarii ad confessiones audiendas per aliquod tempus sine concionibus in loco maneant. Praeterea meditatio communis, saltem semel quotidie facienda ne omittatur umquam, ut regula dicit... Et unusquisque teneatur, ut de his meis litteris moneat, si contrarium fieri viderit.*

(S. Alph. ad missionum superiores, anno 1755).